Dissertatio pathologico-therapeutica de rabie canina ad mentem celeberrimorum quorundam, nostrae aetatis, vivorum considerata ... / [Johann Christian Höpfner].

Contributors

Höpfner, Johann Christian.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Jungnicolianis, [1726]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rwt5tat8

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

22

DISSERTATIO PATHOLOGICO-THERAPEVTICA
DE

RABIE CANINA

AD MENTEM CELEBERRIMORVM QVORVNDAM, NOSTRÆ ÆTATIS, VIRORVM CONSIDERATA,

QVAM

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA,
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO

CHRISTOPH. IGNATIO DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CANON. CAPIT. ET SHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDIMQVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO AC SVFFRAGAN. DENOMIN.

INDVLGENTE AMPLISSIMO AC GRATIOSO MEDICORVM ORDINE IN PERANTIQVA VNIVERSITATE HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

DN. ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERI,

PHILOSOPH. & MEDIC. DOCT. AC PRACTICI,
FAVTORIS SVI OMNI HONORIS CVLTV JVGITER DEVENERANDI,
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET
RESPONDENS,

JOANNES CHRISTIANVS Höpfner,

HALENSIS - SAXO, MEDICINAE CANDIDATVS.
DIE XXX. APRIL. ANNO MDCCXXVI.
IN AVDITORIO MEDICO COLLEGII MAJORIS HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, TYPIS JVNGNICOLIANIS.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS PATHOLOGICO-THERAPEVTICÆ, DE RABIE CANINA AD MENTEM CELEBERR. QVORVNDAM NOSTRÆ ÆTATIS VIRORVM, CONSIDERATA,

PROŒMIVM.

EX omnibus ſanè laboribus, qvibus aliàs Eruditorum cohors otia ignavæ propulſare ſolet vitæ, utiliorem ac digniorem, in rebus præprimis *Phyſicis* & *Medicis* haud invenies, qvam qvi ad accuratam virium & effectuum *Animæ* noſtræ explorationem ſolers ac ſedulus impenditur; Hæc enim ſola eſt, qvæ viam ad ſacrata Hygeæ penetralia nobis pandit, modumqve oſten-

dit, qvo langvidi noſtri corporis ſanitatem non ſolum conſervare, ſed & diram morborum phalangem ab eo profligare poſſumus, cum in omnibus ac ſingulis morbis principaliori ſemper activitate concurrat hoc principium, partim ſenſibilitate ſuâ, partim majori æſtimatione rerum corpori ſuo inimicarum, partim etiam motuum juſtâ directione ac promotione aliisqve operationibus, &, teſte Valleriola, Lib. I. obſervat. 4. *ea* præprimis *cauſa ſit, cur ſæpe deſerti â Medicis convaleſcant, qvod arcani Naturæ (ſive Animæ) motus, qvibus ipſa in ſervando, fovendo & â mortis injuria vindicando corpore utitur, non ſatis nobis perſpecti ſint.* Propterea etiam illi, qvi *prudentis Medici* titulum affectatur, ante omnia incumbit, ut non modo in vulgares illas omnibusqve notiſſimas Animæ qvalitates & vires attentus inqvirat, ſed & arcanas, abditas ac ex parte adhuc planè incognitas ejus operationes & facultates explorare & detegere ſtudeat, qvo nihil illorum, qvæ noſtrâ adhuc ratione comprehendi poſſunt, ipſi deficiat.

Qvanqvam enim incorruptibilis hic noſter Spiritus, anteqvam turpis eum deperdidit lapſus, multo præſtantioribus ac perfectioribus inſtructus fuerit viribus, (qvod, præter rudes in ſuâ ſapientiâ Naturaliſtas & Atheos, neminem negaturum fore autumo,) qvam qvidem illæ ſunt, qvibus nunc adhuc gaudet; Tamen omnibus illis, ex infinita Dei Clementia, nondum planè orbatus exiſtit, ſed multæ adhuc in eo deprehenduntur facultates, qvas crudioribus noſtris ideis, ita perfectè haud comprehendere, nedum exprimere poſſumus, qvippe qvæ, dum â reliqvo vulgari cauſarum & circumſtantiarum nexu maxime diſtinctæ & inſigni tenebrarum caligine obvolutæ ſunt, inſimul clarè manifeſtant,

ſtant, qvod aliqvo modo adhuc, de priſtino perfectiori ſtatu participent.

Non pigebit itaqve, cum ſumma ſit hujus ſcientiæ neceſſitas, ſumma non minus dignitas & uſus maximus, paulo dilucidius illam perluſtrare & ſpecialius in ipſius Animæ noſtræ vires, facultates, modumqve operandi ſecundum diverſas circumſtantias, inqvirere, ita tamen ut hæc omnia minime multis & diffuſis percenſeamus verbis, ne ſpicas in ſegetem portare, aut cramben foculo jam jam redditam de novo apponere velle videamur, ſiqvidem multos Doctiſſimos Viros, ſpeciatim vero Jlluſtr. STAHLIVM & Celeberr. ALBERTI, qvi inclytam jam dudum nomini famam reportârunt, in egregiis pariter atqve utiliſſimis ſuis ſcriptis exactiſſimam hujus materiæ notitiam jam jam ſuppeditaſſe, novimus; ſed placet tantum, loco ſpeciminis cujusdam Academici, partem aliqvam utiliſſimæ hujus ſcientiæ aſſumere, & inſignem illam harmoniam, qvæ inter principium noſtrum rationale & ſubjecta externa naturalia intercedit, qvamqve ita â priori vix ſemper apprehendere poſſumus, in affectu qvodam ſpeciali, (qvi ſuam præprimis originem ex malè applicato Jntellectu Animæ deſumit,) RABIE nimirum CANINA, juxta mentem celeberrimorum horum virorum, conſiderare, illamqve pro virium qvali qvali facultate perſpicaciorem reddere. Qvod ut feliciter evenire jubeat Deus T. O. terqve Maximus, & ab omni ineptæ credulitatis ac falſorum præjudiciorum *rabie* nos clementiſſimé defendat, eſt, qvod humillime precamur.

CAPVT I.

HISTORIAM HVJVS AFFECTVS EVOLVIT.

§. I.

NE morem hactenus non ſine cauſa in Diſſertationum conſcriptione obſervari conſvetum temerè deſeramus, brevibus *Onomatologiam* noſtri affectus evolvere & præmittere lubet, anteqvam ad intimiorem & ſpecialiorem ejus perſcrutationem nos accingamus. *Rabiei* igitur, vel *Furoris* titulus imponitur luctuoſo huic morbo, qvia ſub vehementiori qvodam delirio, cum acutiſſima febre ut plurimum conjuncto, tam in brutis, qvam in hominibus ſeſe exſerit; Epitheton vero *canina* adjectum eſt, ad demonſtrandam non ſolum differentiam ſpecificam, qvia ab aliis Rabiei ſpeciebus, v. g. Nymphomania, Philtromania, Lycanthropia, &c. hæc maximè diſtincta eſt; ſed & ad indagandam ejus originem, naturam & eſſentiam, ſiqvidem ex communicato *rabidi canis* a) contagio produci-

a) Alia qvidem animalia, præter canes, rabie non ſolum corripi, ſed eam pari qvoqve ratione propagare poſſe, per experientiam novimus; â ſolo autem cane propterea maximè deſumtum eſſe hoc epitheton, putamus, quia freqventius præ illis huic malo ſubjectus depre-

ducitur & qvasi propagatur, insimulqve in hominibus exactam qvandam harmoniam & analogiam, cum illâ rabie, qvæ communiter in *canibus* observatur, sistit atqve demonstrat, adeò, ut interdum etiam peculiare illud symptoma, pertinacissima nimirum omnium splendidorum, liqvidorum, & præcipue aqvæ aversatio, qvæ rabidos aliàs canes affligit, simul hunc affectum in hominibus comitetur, in qvo casu comuniter vel alio donatur epitheto, & *Rabies hydrophobica* appellatur, vel plane diverso signatur nomine & φεύγυδρον, aut ὑδροφοβία b) dicitur, qvæ vocabula, licet, Græciam pro origine habeant & ex verbis φεύγω *fugio*, aut φοβέω, *timeo*, & substantivo ὕδωρ, *aqva*, componantur, tamen postea per consvetudinem non solum ad latinum forum tracta, sed & â Germanis in subsidium vocata sunt, qvi corruptis denominationibus **der Wasserscheu, die tolle Wasserfurcht, oder Hunds-Raserey,** hunc affectum hactenus insignire sveverunt.

§. III.

deprehenditur, & secundum sententiam qvorundam Autorum, solus primariò, principaliter & ex principiis suis internis ad suscipiendam rabiem dispositus est, cum reliqva animalia omnia saltem secundariò & malo â cane rabido communicato, eâ laborent. Vid. *Sennert. Instit. Med. Lib. II. Part. III. Sect. I. cap. 7. & ejusd. Pract. Med. Lib. I. Part. II. cap.* 16.

b) Sunt etiam ex Græcis qvidam, qvi affectui huic alia insuper nomina imponere solent, atqve modo ὑγροφοβίαν, modo ὑγροφθέλιγμα, modo etiam ὑγρόμισον, appellitare malunt, qvia ejusmodi ægrotantes aqvas non solum, sed omnia liqvida indiscriminatim aversantur; Qvoniam vero in qvamplurimis subjectis ille aqvarum metus semper gravissimum symptoma constituit, atqve sic, ob consvetudinem, Hydrophobiæ nomen primarium locum obtinuit, merito qvoqve illud, tanqvam usitatius, retinere placuit, siqvidem etiam cuilibet perinde est, qvibusnam aliis nominibus iste affectus indigitetur, modo eandem rem in explicatione obtineat.

§. II. Missis nunc verbalibus ad realia properamus, ubi proximum est, ut exqvisitiorem hujus intricati affectus Historiam contexamus, qvo illum ex propriis suis circumstantiis tantò facilius dignoscere & agnoscere qveamus. Primaria igitur eaq; materialis hujus mali origo est *contagium*, sive *miasma* qvoddam *subtile, fermentativum*, â cane jamjam rabido productum & corpori humano ejusqve humoribus insinuatum, qvod, si non ex se suaqve Natura, tamen propter noxiam suam qvalitatem maximâ ex parte hunc affectum producere potest. Est autem illud, uti jam dictum, *summæ subtilitatis*, adeò ut non solum brevi tempore sub salivâ per inflictum morsum sive vulnus qvoddam in corpus humanum proximè immittatur, sed & multis aliis subtilioribus modis communicetur & propagetur, v. g. per halitum & osculum canis rabidi, c) per comestionem carnis rabidi animalis, d) per solum salivæ animalis rabidi contactum, e) per impositionem manûs in os canis rabidi, f) per comestionem lactis vaccæ â cane rabido demorsæ, ff) imò tandem (si credere fas est,) per solam inspirationem aeris, cum exspiratione (durch das Anhauchen,) â rabidis emissi, g) variisqve aliis viis, de qvibus tamen omnibus & singulis, qvia insuper rariores sunt, heic loci spe-

c) *Cardanus* Lib. II. contradict. IX. Tract. V.
d) *Fernelius* Lib. II. de abdit. rer. caus. cap. 14.
e) *Matthiolus* in Lib. VI. Dioscorid. cap. 36. *Galenus* de Loc. aff. c. 5. item *Palmarius, Fernelius, Petr. Salius Diverf.* & *Cardanus*, passim in suis Scriptis.
f) *Joh. Matth. de Gradibus* consil. 82.
ff) *Bald. Timæus* â Güldenklee Cas. & Observ. Med. Lib. VII. Cas. 23.
g) *Cœlius Aurelianus* Lib. I. de sign. & causis morborum acut. cap. 7. Confer. in genere *Sennertus* in Instit. Med. Lib. II. Part. III. Sect. II. cap. 4.

ſpecialius agere non placet, ſed ſolam illam *caninam rabiem*, qvæ proximius & freqventius ex morſu canis cujusdam rabidi producta fuit, retinere, illamqve nunc ſecundum ſua ſigna diagnoſtica ſiſtere, mens noſtra eſt.

§. III. Ab inflicto igitur rabidi canis *morſu* noſter affectus ſua quidem ſumit exordia, ſed incerto planè tempore, dum modò citius, & poſt paucos dies, modò verò tardius, elapſo nempe plurium ſeptimanarum aut menſium ſpatio, ſeſe exſerit, & hoc qvidem pro diverſa circumſtantiarum variatione, rariſſimè autem poſt plures demum annos, citra novæ cujusdam cauſæ acceſſum, renaſcitur; qvare etiam illæ obſervationes, qvæ rabiem hancce decimo ſeptimo, h) decimo octavo, i) vel quadrageſimo anno, k) poſt morſum canis rabidi ortam eſſe referunt, ſingularem non niſi interpretationem merentur, illarum præprimis circumſtantiarum, qvæ ratione morbi & ipſius patientis obſervandæ fuerunt. Vid. *Foreſtus Lib. X. obſerv. 28. cum Schol. Salmuthus in obſervat. poſthumis Cent. I. Obſervat. 96. Sennertus l. c. & Borellus Hiſtor. & Obſerv. Medico-Phyſ. Cent. I. Obſ. 74.*

§. IV. Cum vero inſuper non ſemper liqvidò appareat, an canis qvi morſu hominem vulneravit, rabidus fuerit, nec ne, ſiqvidem ut plurimum vulnus â rabido cane inflictum nihil ferè differt ab eo, qvod non rabidus intulit canis; placet antea illa ſigna enumerare, qvæ canem rabie affectum, & vulnus â tali inflictum eſſe, nobis patefaciunt, qvò eò citius ingruenti huic malo idoneis medicamentis obviam ire & ali-

h) *Anton Muſa Braſſavola* Lib. II. Aphorism. Commentar. 23.
i) *Gvainerius* in Tract. de venenis cap. 12.
k) Referente *Alzaharavio.*

aliqvâ ſimul ex parte præcavere qveamus, ne ad ſupremum & incurabilem illum gradum, plenariam nimirum *Hydrophobiam*, perveniat. Rabidum ergo canem ſeqventia arguunt indicia: Jncedit greſſu inordinato, modò in hoc, modò in illud latus inclinat, modò antrorſum, modò retrorſum, & qvidem ocyus ſolito, currit, atqve in omnibus ſuis actionibus ferociam qvandam cum ſtupiditate conjunctam offert, propter qvam inſimul reliqvi omnes ipſi occurrentes ſani canes, talem magno cum timore averſantur ejusqve conſortium reformidant. Præterea qvoqve ſalivam ſpumeam in magnâ copiâ ante ora naresque gerit vel etiam effundit, lingvam aridam, tumidam, ex atro rubentem, qvaſi bile coloratam & foras porrectam habet, præter ſolitum torvus videt, oculos truces, rubentes, igneos & iratos demonſtrat, ore aperto anhelat, aures demittit, caudam ſub ventrem inflexam geſtat, toto corpore contabeſcit, rarò & parum latrat, plus vero mordet, & qvidem non ſolum reliqvos canes aliaqve bruta, ſed & ipſos homines, ignotos pariter atqve familiares (qvos propter inſaniam neqvidem agnoſcit,) aggreditur illisqve ſuam rabiem tali modo communicat. Augeſcente malo non ſolum eſculenta, ſed maximè omnis generis potulenta planè planeqve averſatur, adeo, ut licet arida ejus lingva certum præbeat indicium præſentis æſtus ac ſitis in corpore ſuo, ne minimam tamen aqvæ guttulam deguſtare velit, ſed potius ab illâ & omnibus liqvidis protinus aufugiat, donec poſt aliqvot dies, corpore ſenſim ſenſimqve emaciato, tandem pereat.

§. V. Qvo verò nullum relinqvatur dubium, ipſum qvoqve vulnus conſiderari debet, cum & ex eo, inſtitutis variis experimentis, præſentem in cane, qvi illud inflixit, rabiem

biem hariolari qveamus. Sic *Paulus* & *Aetius* jubent nuces juglandes contusas, (qvarum in locum alii etiam tritici grana sumunt,) vulneri recenter inflicto apponere, & per aliqvot horas, aut per noctem vel diem (prout nimirum major vel minor est ejus ambitus, cum â magno vulnere venenum facilius communicetur,) super illo relinqvere, & postea gallo vel gallinæ devorandas objicere; Si enim hæc animalia postero die pereant, rabidum fuisse canem concludunt, & contra. Simili etiam modo *Rhases* & *Avicenna* cum frusto panis, cui alii offam, ex farina & sangvine ex vulnere detracto, formatam, substituunt, procedere eamqve sano cuidam cani offerre svadent, de qvibus plura vid. apud *Sennert. l. c.* & *Capivaccium in Pract. Med. Cap. ult.*

§. VI. Traditis nunc illis Signis, qvæ partim rabiem in cane, partim etiam malignitatem in vulnere inflicto denotant, ulterius ad illa progredimur, qvæ propriè tragicum nostrum affectum in hominibus stipantur, qvalia sunt nimia anxietas animi, cardialgiæ insignes, vomitus crebriores, vel saltem nausea, aut conatus vomendi, graves virium dejectiones, somnus inordinatus horridisque insomniis perturbatus, urina guttatim reddita, pulsus durus, interdum inæqvalis, interdum debilis, affectus anginodei, facies tumida & intensè rubra, cordisqve tremores, qvibus sub ulteriori morbi progressu febris communiter acutissima, cum doloribus exqvisitis, siti ac æstu ineffabili, sudoribus copiosis profundisqve suspiriis stipata, accedit, donec ipsum qvoqve delirium, 1) sive rabies hæc superveniat, sub qvâ miseri tales

1) Non pauci etiam reperiuntur, qvi ad extremum usqve vitæ halitum mente constant, suam agnoscunt atqve deplorant miseriam, adstan-

les patientes ad instar canum rabidorum ejulant, spumant, oculos torvos & aspectu horribiles ostendunt, in proximos exspuunt, illosqve, etiam præter voluntatem, morsibus invadunt, & ubi res ad extremum deducta est, lucem fugiunt, omniaque liqvida, præprimis vero *aquam* m) respuunt & mordendo aversantur, adeò, ut nec sonitum vel nomen ejus perferre qveant, strident cum dentibus, bilem flavam vel atram evomunt atqve singultu gravissimo corripiuntur, qvibus omnibus demum etiam facillimè convulsiones sese associant, hancqve scenam lethali exitu claudunt.

CAPVT II.

ÆTIOLOGIAM, SIVE NEXVM CAVSARVM RIMATVR.

§. I.

PRæsens hic noster affectus non immeritò inter *venenosos* refertur ac ponitur, qvia non modo ex venenoso qvodam miasmate corpori humano communicato materialiter exoritur, sed & pari ratione ulterius & qvasi in infinitum propagatur; Hinc non miror varias illas & ferè innu-

adstantes rogant, ut validè contineantur, monentqve ne vel manum vel aliam corporis partem ori suo admoveant, ne morsu lædantur; cujus rei singulare exemplum *Gentilis* in *Commentario in Avicennam* & *Rhodius in Observat. Med. Cent. I. Observ.* 46. allegant.

m) Interdum tamen ista liqvidorum aversatio usqve adeò excedere solet ut proprias qvoqve *lacrymas* non possint perferre, sed ad illarum conspectum graviora pariter experiantur symptomata, notante hoc *Eudemo* Themisonis Sectatore.

numeras de eo formatas Theorias, n) qvarum insuper multæ satis ridiculæ existunt: Si qua enim Theoria in physicis & medicis intricata & abstrusa est, sanè est illa de *venenis* horumqve modo operandi, de qvibus licet multa, â celeberrimis etiam Autoribus, tradita nobis sint, nil tamen nisi τὸ ὅτι, qvod nimirum præsentissimam, penetrantissimam summeqve noxiam qvalitatem possideant, ac nisi festinatum feratur auxilium, mortem ut plurimum accelerent, ex innumeris exemplis cognoscere possumus, fiendi modum autem s. τὸ διότι, planè silentes præterire cogimur, qvia tam de illis in genere, qvam in specie de animalium venenis nulla adhuc suppetit ratio, cur ita citò, tam intimè, citra violentiam proportionatam & ita separatis motuum gradibus, œconomiam nostram vitalem destruant atque evertant.

§. II. Hanc qvoqve ob rationem in præsentiarum exactam qvandam omnibusque numeris perfectam nostri affectus Theoriam sistere haud poterimus, siqvidem illa, si præcipue τὸ διότι respicias, ad hunc usque diem abditum & inextricabile manet mysterium omnibus illis, qvi non cum materialibus, confusis, falsis aut planè ridiculis & futilibus conceptibus totam rem exhaurire volunt, sed dictamina tantum sanæ rationis cum experientiâ maritatæ observare

 stu-

n) Has inter præprimis fabulosam illam traditionem refero, qvâ per seminia canina M. S. illata & famosis illis spiritibus oblata, qvidam hunc affectum explicare satagunt, de qvâ vid. *Avicenna lib. IV. Fen. VI. Tr. IV. Cap. 7.* ad quam melius colorandam & corroborandam alii in urinis hydrophobicorum & in vestimentis cum salivâ rabidi canis inqvinatis, catellos tales minimos fluctuantes & prognatos, se observasse firmiter asserunt. Vid. *Salmuth l. c. Cent. 2. Obs. 83. Borellus Hist. & Observ. Med. Phys. Cent. I. Obs. 38.* Reliqvas hasce Theorias recenset *Sennertus in Institutionibus Med. l. c.*

ſtudent, qvæ, cum omnium acuratiſſimam conſtituant normam, nobis quoque inſervient pro tradendâ, ſi non perfectâ, ſaltem ſufficienti hujus intricati affectus ætiologiâ.

§. III. Ex antecedentib9 ergo facilè nunc innoteſcit, quod *Rabies* canina nihil aliud ſit, niſi *certa qvædam ſpecies deliriorum, qvæ utplurimum ſubjectorum liqvidorum vel etiam ſplendidorum averſionem, ſub febre acutiſſimâ, infert, & ab inflicto canis rabidi morſu maximè inducitur;* qvin imò, etiam exinde liqvidò apparet, quod in indagandâ hujus morbi origine & exhibendâ ejusdem ætiologiâ, non in nudis corporeis vel materialibus conditionibus ſubſiſtere, aut ſolummodo ad efficaciam phyſicam modumq; operandi talis veneni in corpore humano reſpicere debeamus; ſed quod potius, & quidem primariò, *influxus* ille principalis noſtri principii agentis, cum ejusdem *æſtimatione morali* & conceptibus in & circa læſionem formatis, nec non inſignis illa *analogia* identitatum motûs morbique in animali nocente, accuratè attendenda ſint, ita tamen, ut *læſionum corporearum* pariter utilis conſideratio nec penitus omittatur, nec nimium extollatur, quia ex ſuâ tantum indole ad provocandam hancce rabiem vix tantum contribuunt, quantum in antiquis & vulgatis Syſtematibus medicis illis adſcribitur. De reliquo circa hujus affectus *differentiam* nihil plane monendum habemus, quia ratione urgentioris ſui ſymptomatis, totalis nimirum *liqvidorum averſionis*, facile â reliqvis deliriorum ſpeciebus ſeſe diſtingvit, quemadmodum etiam ratione originis ſuam â *Lycanthropia* differentiam, cum quâ de reliquo unius ferè morbi ſchema exhibet, optime demonſtrat, dum noſter affectus ex *canis*, hic vero ex *lupi*, & qvidem utrorumque *rabidorum, morſu* producitur; quibus nunc præno-

tatis

tatis nunc ulterius ad evoluendam ipſius ætiologiam nos accingimus.

§. IV. Quamprimum itaque rabioſum tale animal parti cuidam morſum ſuum infligit, inſimul portio quædam *ſalivæ* per hoc vulnus ab eo communicatur, quæ, quia motu ſpumefactorio ac fermentativo valdè exagitata, adeoque ad inducendam repentinam quandam corruptionem plus, qvam vulgaris liqvor ſalivalis, apta & qvalificata eſt, atqve ſic non modo illum locum, in qvem immediatè inſinuata eſt, detinet, ſed & ob ſuam ſubtilitatem partim per univerſum M. S. latifundium, tanqvam activum & potens qvoddam fermentum ſeſe dispergit, partim qvoqve per reliqvas ſolidas partes undiqvaq; diſſeminatur, & ſtatim *putrefactoriam corruptionem*, non ſolum illi parti, cui vulnus inflictum hæret, ſed & reliqvo corpori ac præcipue univerſæ maſſæ humorum, minatur qvi ipſe ſtatus, cum maximè inſolitus & extremè periculoſus exiſtat, Animæ occaſionem ſubminiſtrat, ut, pro avertendo extraordinario hoc periculo & eliminando nocivo tali miasmate, plus quam ordinarios motuum gradus adhibeat, quales ſunt ſpaſticæ illæ, congeſtoriæ, inflammatoriæ, vel etiam convulſivæ, & exquiſitæ febriles commotiones, ex quibus dein inſignes illæ cardialgiæ, cordis tremores, affectus anginodei & reliqua ſuperius (§. VI. cap. præced.) recenſita ſymptomata ſuam ſolent ducere originem.

§. V. Non ſolum autem immutatus & perturbatus eſt *functionum vitalium* proceſſus, ut ita confuſè, anxiè & tergiverſanter continuet, ſed ipſos quoque *morales motus* gravius ſimul alteratos offendimus, teſtimonio exquiſiti illius delirii, quod ut plurimum indiſſolubili nexu cum hoc affectu

ctu conjunctum deprehendimus, & propter specialem propagandi modum, quo ex cane rabido in hominem sanum transfertur, peculiari utique consideratione dignum censemus, cum insuper omnes ferè actiones, quæ hancce rabiem in canibus stipantur, pari quoque modo in hominibus observentur, cujus rei origo, licet primo intuitu adhuc aliquo modo obscura videatur, facilè tamen, si paulò accuratius consideretur, elucescit. Notum enim ac comprobatum est, Animam nostram, quamdiu in hoc mundo existit, plurimum circa *res materiales & corporeas* versari, ut inter has & illam semper exqvisita qvædam, & qvidem nunc evidens & aperta, nunc vero subtilis & abdita intercedat relatio, vi cujus hocce principium activum pro diversâ materiæ conditione & qvalitate, facilè suos motus & operationes alterare, augere vel imminuere potest. Qvodsi nunc ergo ex ejusmodi rabidis animalibus subtiles qvædam & cum peculiaribus qvalitatibus præditæ materiæ corpori humano communicantur, statim etiam delitescens in eo principium, nempe Animam, offendunt, qvæ deinde juxta diversam hujus materiæ relationem agit, & similes operationes atq; actiones suscipit, sicqve delirium qvoddam, cum eo, qvod in cane fuit, analogum, ex suâ activitate producit, qvod soli materiæ in *sensu Physico* consideratæ aliàs plane impossibile est.

§. VI. Huc accedit simul momentanea et simultanea illa Animæ *alteratio* ac *pathetica perturbatio* maximo præprimis cum terrore stipata, & ab inopinatâ tali rabidi cujusdam animalis invasione exorta; Hæc enim Animam non solum in genere ad futuras deliras actiones aliqvomodo disponit, sed & unà repentè, intimè ac firmiter cum idea hujus animalis, qvod corpus invasit, imbuit, ex qvo ita illa confusa

fusa, perterrita & anxia, facilè mores & actiones illius animalis imitatur, cujus præsentia semper & ubiqve animo perturbato obversatur, atq; hoc modo ipsa etiam ex solâ *morali* qvâdam *æstimatione* apta evadit ad formandum & concipiendum hunc non solum morbum, sed & plures alios ejusdem generis, cujo rei insigne jam jam testimonium & exemplum *PLATERUS Lib I. Observationum pag. 83.* nobis communicavit, ubi perfectam planè Hydrophobiam ex solo timore & terrore in fœminâ productam, describit. Plura circa hanc materiam tradit Celeb. D. D. *ALBERTI* in scriptis suis egregiis, speciatim in Schediasmate de *admirandis Animæ præcipue humanæ, effectibus*, nec non in *Observatione*, Scriptis Medicis & Philosophicis, priori anno collectim editis, annexâ, *de occultis Animæ effectibus*; item in Disput. de *Valetudinariis imaginariis & Therapiâ imaginariâ.* Confer. etiam ejusd. *Introductio in universam Med. Part. I.* pag. 411.

§. VII. Qvoniam verò huncce morbum tempore communiter incerto sese exserere & manifestare diximus, opus erit, ut hujus qvoqve rei rationem reddamus, qvò nihil illorum, qvæ nostrâ adhuc ratione comprehendi possunt, intactum relinqvamus. Omnes igitur canes pari modo & gradu rabie non affligi, per experientiam novimus, siqvidem alii mitius, & interdum absqve ullâ hydrophobiâ, n) alii autem vehementius & gravius hoc morbo decumbunt; Proinde etiam in ipsis hominibus insignem qvandam diversitatem deprehendimus, dum alii fortioris sunt constitutionis, & communicato veneno diutius resistere possunt, aut etiam tali utuntur victu, qvi vim veneni infringere valet; a-

n) Hujus rei exemplum vide apud *Salmuthum, in Observ. posthum. Cent. III. Obs. 90.*

lii verò debiliores existunt & huic malo statim succumbunt. Ex hisce phœnomenis nunc concludimus, qvòd, si canis rabie vehementius afflictꝯ miasma suum, qvod ibidem potentiꝯ erit, corpori cuidam debiliori comunicet, brevi tempore hic affectus exoriatur; si verò illud in fortiꝯ qvoddam corpꝯ immittatur, diutius etiam lateat, anteqvam vim & efficaciam suam exserat, qvod qvidem facilè fieri potest, cum venena talia, tanqvam â mixtione corporis nostri totâ suâ substantiâ aliena, rarissimè â principio nostro activo in totum vinci & superari possint, qvin suam non retineant qvalitatem, illamque dein commodo tempore & occasione sub certo qvodam morbi schemate exserant.

§. VIII. Et hæc sunt, qvæ pro demonstrandâ origine vel potius propagatione *Rabiei caninæ* in hominibus, adduci debuerunt; paucis nunc etiam de ejusdem ætiologia in canibus agendum esse putamus, qvò intricati hujus affectus indoles secundum omnes circumstantias nobis innotescat. Jn genere igitur hic morbus ex vehementi & extremâ qvadam alteratione factâ inter frigus & calorem, deducitur, ubi nimirum canes post prægressam nimiam exæstuationem potulenta admodum frigida, vel tempore frigidiori admodum calida, ingurgitârunt, de qvali inconvenienti regimine, cum notissimum sit, qvod præsentissima inducat pericula, non opus est, ut latius disseram, siqvidem sole meridiano clariꝯ existit, qvod ad producendam febrem illam acutissimam, qvæ sub hoc morbo præprimis observatur, illud primariam constituat causam, & exinde ratio facile appareat, cur canes maximè, sub flagrantissimo Sirii ardentis æstu & interdum etiam vernalibus & autumnalibus temporibus rabie hâc corripiantur, de qvibus plura apud *Lycum & Forestum Lib. X. Obs.*

Obſ. 27. in Scholio. proſtant. *Confer. etiam Codronchus in Tr. de Hydrophobia.*

§. IX. De urgentiori verò hujus affectus Symptomate, univerſali nimirum liqvidorum averſione, variæ qvidem apud Autores proferuntur cauſæ, o) qvas inter vero illa præprimis mihi arridet, qvam *Joſephus de Aromatariis in Tr. de rabie contagioſâ Part. II. Cap. 7. in fine & Part III. per totam*, adducit, qvod nimirum hæc rabies non niſi peculiarem qvandam Anginæ ſpeciem, *Cynanche* dictam, conſtituat & inferat, in qvâ lingva & collum ex inflammatione qvâdam internâ ita intumeſcunt, ut, ſi qvid potulenti deglutire velint patientes, exinde ferè ſuffocentur, omniaqve aſſumta per os & nares ejaculent, & ab omnibus omninò liqvidis, hanc ob cauſam, planè abhorreant; Nec rejicienda etiam eſt illa cauſa, qvam alii adducunt, qvod canes rabidi, qvia præter reliqva phænomena etiam *temulentiam* ſeu *vertiginem* qvandam exhibent, & ex eâ ſubmerſionis periculum facilè incurrere poſſunt, pro hoc avertendo omnia liqvida & præſertim aqvam ita exterriti fugiant. *Confer. Annales Med. Phyſici Wratislavienſ. Anno 1717. Menſ. Aug. pag. 170. ſqq.* p)

o) Fuſius illas recenſet *Sennertus* Inſtit. Med. Lib. II. Part. III. Sect. II. cap. 4. pag. 427. ſqq. Conf. *Roderic. à Fonſeca* Conſult. Med. XXV. pag. m. 90.

p) Placet allatis hisce cauſis pro ulteriori ætiologicâ illuſtratione Hydrophobiæ in hominibus obviæ, adhuc addere *alterationem* & *patheticam commotionem* ipſius Animæ rationalis l. ex terrore ſub morſu, l. ex qvacunqve aliâ causâ inductam & in §. VI. huj. Cap. jam jam allegatam; qvippe qvæ Principium noſtrum vitale vix non ſemper ad maximè *erroneas* motuum adminiſtrationes ſeducere valet, adeò, ut interdum res alioqvin innocuas, ſolius *erroneæ imaginationis* ductu, tamen ſub extremo horrore faſtidiat, id qvod vel maximè ex eo elu-

ceſcit

§. X. Perlustratâ nunc in genere intricati hujus affectus *etiologiâ*, ad specialiorem causarum enumerationem ordo nos ducit, ex qvibus pro causa *efficiente* agnoscimus principium corporis nostri activum, *Animam* nimirum rationalem, qvæ, dum sola gaudet eâ activitate, ut secundum diversitatem materiarum, diversas qvoqve instituere possit operationes, facilè etiam, citra concursum aliorum subjectorum, luctuosum talem morbum primariò producere potest. *Formalem causam* constituunt *motus vitales*, qvi, qvoniam ad avertendum gravius tale periculum & eliminandum subtile illud miasma venenosum suscipiuntur, utiqve in suâ etiam activitate auctiores esse debent, cumqve insuper exactissima inter illos & *morales motus* intercedat harmonia, hos insimul in consensum rapiunt, ut ita vitalis non modo œconomia per febrem acutissimam, sed & moralis per exqvisitum illud delirium, maximè turbentur. *Materia* propter qvam tales suscipiuntur motus, est subtile qvoddam *fermentum* & *miasma venenosum*, sub formâ *salivæ* corpo-

ri

cescit, dum ipsa Clinica Praxis sæpius demonstrat, qvomodo in talibus Casibus Anima hæc anxia non solum omnium liqvidorum aspectum & oblationem qvasi exterrita fugiat, sed et, sub intensissimo licet æstu ac ferventissimâ siti, omnes omninò internos corporis humores summâ cum pertinaciâ & validissimis motuum gradibus fundat, viresqve simul effundat; adsunt enim sub initium *vomitus*, vel ad minimum *conatus vomendi*, concurrit perpetua ferè *Salivatio*, maximam lymphaticorum & salivalium humorum partem absumens, succedit tandem & toto de corpore fluit copiosq *sudor*, qvi sub forma nebulosi cujusdam vaporis è lectis prorumpens, fumantem ferè mentitur caminum dumqve vix prius, nisi cum vitâ miserorum ejusmodi subjectorum deficit, omne qvod de *fero* adhuc reliqvum est, penitus exhaurit, prout egregie hoc annotavit *Mollerus* in *Annalib. Med. Phys. Wratislav. Anno* 1721. *M. Mart.* p. 254.

ri ejusqve humoribus communicatum, qvod, qvia repentinam infert corruptionem, necessariò etiam subitaneam pro salvando corpore reqvirit expulsionem, qvæ extraordinario illo motuum augmento optimè impetrari potest. *Occasionales* deniqve *causas* qvod attinet, & qvidem *proximam*, illa in nostro affectu est *morsus* rabidi canis, sub qvo subtile illud inqvinamentum primâ vice comunicari solet; Inter *remotas* vero causas præprimis eminent, *rabies* in cane existens, & *concursus* ejusmodi canis rabidi cum homine, sub qvo illi ansa præbetur talem hominem invadendi ac morsu vulnerandi; reliqvæ verò causæ, qvæ pro circumstantiarum diversitate multis modis distinctæ sunt, facilè sub individuali consideratione elucescunt.

§.XI. Circa *Prognosin* hujus affectus sciendum est, qvod totus ejus status periculo plenus existat, maximè vero, si malum jam eo processit, ut ipsa *Hydrophobia* etiam adsit, tum enim in angusto spes est, & communiter intra paucorum dierum spatium lethalis eventus sequitur, qvod itidem metuendum est, si motus vitales, præcipuè in subjectis plethoricis & freqventioribus plethoræ suæ commotionibus obnoxiis, in *extrema* delabantur, & vel in *excessu*, vel in *defectu* peccent, nec non, si in parte læsâ livores inæqvales & laxi tumores conjungantur, sensus in eâ cesset aut inflictum vulnus ex improviso sese occludat. E contra vero si illud vulnus sangvinem sufficienter effundat, nec profundius sit inflictum, ut neqve nervum, nec venam aut arteriam qvandam læserit, & postea, dum illud curatur, vel spontè fudor multus, vel urina, præcipue nigricans evacuetur, semper de salute major spes est, modo idonea simul medicamenta in usum trahantur. Plura vid. apud Celeberr. ALBERTI *in Introduct. in univ. Med. Part. III. p. m. 1089.*

§.XII.

§. XII. Antequam verò ætiologicæ huic tractationi colophonem imponamus, necesse erit, ut brevibus adhuc qvæstionis illius mentionem injiciamus, super qvam in Scholis Medicorum sæpius reciprocata fuit serra contentionis; nimirum *an humores in corpore humano absq; communicato rabidi cujusdam canis contagio, ita corrumpi possint, ut ejus tamen vicem habeant, &, si non exqvisitam rabiem caninam, tamen hydrophobiam inducere qveant?* Plurimi enim inveniuntur inter Medicos qvi ingenti exemplorum farragine stipati, affirmativè ad illam respondent, qvibus experientiis, si fides habenda, facilè resoluta erit hæc qvæstio. Sic enim præter *Lentilium in Jatromnemat., Platerum in Observat., Borellum, Herculem Saxonia, Zacutum Lusitanum, Soranum, Petrum Salium Diversum, aliosqve, Marcellus Donatus* q) qvinqve tales historias recenset, *Mercklinus* verò r) talem affectum in viro qvodam qvadragenario inopinatò exortum describit, qvibus etiam Historiam illam annumeramus, qvam Medicus qvidam Italus, nomine *Johannes Baptista Scaramucci*, Anno 1702. in peculiari qvadam epistola, s) cum Illustri Magliabecho & literato orbe communicavit, qvâ Hydrophobia in juvene 27. annorum, qvi irâ graviter percitus, ex vindictæ fortassis defectu, indicem suum digitum cruento morsu ipse vulneraverat, citra alius contagii accessum exorta, sistitur. Maximi autem momenti est illa observatio, qvam supra allegatis *Annalibus Medico-Physicis Wratislavienf. Anno* 1719. *Menf. Febr.* p. 214. ex communicatione celeberr. Helvetorum

q) Histor. Medic. mirab. Lib. VI. Cap. I.
r) A. N. C. Dec. II. Ao. VI. Obf. 200. p. 455.
s) Hæc Epistola postea ex italica in latinam lingvam translata & *Appendici Decuriæ III. Anni IX. & X. A. N. C.* inserta est. Vid. *Act. Erud. Lipsienf. Anno* 1702. *Menf. Febr. pag.* 147. *fqq.*

torum Physici, *Scheuchzeri*, insertam legimus, ubi *idiopathica* ejusmodi *Hydrophobia* inter infantes observata, traditur, & qvidem seqventibus verbis: *Sneebergâ Misniæ scripsit Clar. Dn.* Joh. Doppert, *Lycæi Rector, infantes hoc Februario,* Hydrophobiâ *sine ullo animalis noxii morsu, passim laborare: Medicos in hoc morbo investigando ac depellendo multum sudasse, absqve peroptato successu. Videtur acidum qvoddam ex fodinis Cadmiæ ibi copiosioris nimium, sub calore hujus Mensis extraordinario exhalans, ita infecisse aerem, ut tenellæ infantilium corporum fibræ potiùs, qvam adultorum fuerint vellicatæ, & Massa sangvinis resoluta primum, mox coagulata, imprimis in glandulis & musculis fauciùm fixata, talem impressisse ideam, qualis in Hydrophobia observari solet. Observamus etiam in Praxi, dari passim* Melancholicos, *licet cæterùm exsuccos & sangvine qvasi adusto plenos, bibere parùm, imò sæpe potum reformidare, vel saltem fastidire. Exemplum huc qvadrat Nobilis & prosapiâ & virtute* Grebelii, *atqve maniaci Bibliopolæ,* Gesneri, *qvi ambo absqve animalis rabidi morsu, veluti Hydrophobici, sunt mortui. In hoc casu proficua esse possunt imprimis etiam externa emollientia, refrigerantia, cataplasmata, pediluvia, forsan & vesicatoria.*

§. XIII. His tamen non obstantibus multi etiam reperiuntur inter Medicos, qvi hujus rei veritatem plano pernegant ore, suamqve simul opponunt practicam experientiam, qvâ nunqvam talem affectum sine communicato rabidi animalis contagio, sese observasse asserunt; Sed consultius agerent tales, si, ante qvam ad *experientiam* progrederentur, prius, per *rationem* demonstrarent, qvòd illæ ipsæ causæ, qvæ in cane huncce affectum producunt, planè non possint illum eodem modo in homine excitare, cum insuper luce meridi-

anâ

anâ clarius sit, qvòd solæ corporeæ læsiones ex se & suâ naturâ, citra principii nostri activi concursum, ad producendum talem morbum planè insufficientes sint; Secus enim si procedant, nullo unqvam fundamentorum pondere probare poterunt, qvod idem morbus, qvi in se jam mixtionem corporis humani subeundi capax est, non possit eâdem facilitate absqve contagio exoriri, qvâ cum contagio producitur. Interim tamen non nego, qvòd interdum etiam â qvibusdam Observatoribus, præsertim negligentioribus, talis affectus pro *idiopathico* enuncietur, qvi tamen reverâ *symptomaticus* & ex qvodam contagio ortus est; unde consultum duco, ut, si qvid tale accidat, & aliqvis inopinatò in Hydrophobiam incidat, non solum de morsu animalis rabidi, sed & de aliis modis, qvibus venenum hoc communicari posse superius Cap. I. §. 2. diximus, diligenter inqviratur, & ex ipso patiente sedulò interrogetur, an nuper vel unqvam tale qvid expertus fuerit? sic enim elucescet *Hydrophobiam* talem *idiopathicam*, vel per similitudinem ita dictam, non solum rarioris observationis, sed & sub toto suo decursu *mitioris* genii esse, præ illâ, qvæ *vera* aut *symptomatica* audit, qvippe qvæ semper sub acerbiori schemate se ostendere & citius ad ἀκμὴν pervenire atqve decurrere solet. Plura qvi de hac materia desiderat, *CODRONCHVM TR. DE HYDROPHOBIA Lib. I. cap. 10. p. 86. sqq.* conferat.

CAP.

CAPVT III.

THERAPIAM HVJVS MALI EXHIBET.

§. I.

TRaditis nunc & commendatis omnibus historicis & pathologicis *Rabiei caninæ* explicationibus, in qvantum illud pro virium imbecillitate licuit, ultimum adhuc superest, ut nimirum ad *Therapeuticam*, seu Practicam illius commendationem pergamus, eamqve pari industria adhuc exponamus. Qvanqvam enim truculenti hujus affectus felix eaque perfecta curatio & profligatio vix promitti, nedum præstari possit, cum, testante experientiâ, sæpissime gravitas morbi omnem elidat ac respuat medelam; Tamen Medicus ex suâ parte minimè deficere, sed qvò majus est periculum, eo majori cum industriâ & dexteritate afflictis succurrere, fortiqve affectui cum fortioribus remediis non modo resistere, sed insimul qvoqve sedulo cavere debet, ne qvicqvam illorum committat, qvæ perniciosum effectum & eventum adjuvare aut accelerare possent.

§. II. Duplex igitur medendi methodus pro luctuoso hoc affectu reqviritur, I. *Prophylactica*, ubi subjectum statim ab inflicto rabidi canis morsu, â tali rabie, & præcipuo ejus comite, Hydrophobiâ, præservari; & II. *Curatoria*, qvâ, si illud jam morbo hoc laboret, ab eo iterum, qvantum possibile, liberari debet. Ad primam methodum statim in principio attendendum est; licet enim nulla planè adhuc percipiantur gravia symptomata, intimior tamen insinuatio

communicati miasmatis præcavenda est, qvod facilè fiet, si 1) *via in corpus progrediendi illi intercipiatur, & M. S. ab omni imminente corruptelâ præservetur ;* 2) *Ipsum tale miasma & insinuata ejusdem malignitas extingvatur aut educatur.*

§. III. Prior indicatio absolvitur diligenti & tempestivâ *absterſione* ac *repurgatione* vulneris, qvæ cum vino, urinâ, aut Decocto, ex Rad. Gent. r., Aristol. rot., Pimpinell. alb., Vincetox, Hb. Absynth., Salv., Scord., Rut., cum vino parato, & his qvidem calidis, fieri potest, non neglecto Emplastro ex Cera, Ol. oliv., Sebo hirci, Thure & Myrrha composito, qvibus peractis dein ipsum tale vulnus, si exiguum sit & partis conditio ferat, in ambitu suo paulò profundius *scarificari* &, cucurbitularum applicatione, *exsuctio* inqvinamenti nocivi tentari, aut saltem ulterior illius progressus retardari debet, qvod etiam per medicamenta attrahentia, v. g. Allium, stercus columbinum, fermentum panis &c. circumspectè tamen adhibita, vel etiam applicatione animalium vivorum, ut columbarum, gallinarum &c. per medium dissectarum & calidè impositarum, aut, plumis evulsis, cum podice tantum admotarum, impetrari potest. In robustioribus verò subjectis partibusqve carnosis, majori & præsentiori cum emolumento *cauterisatio actualis*, & ea qvidem lata satis, atqve profunda, in usum vocatur, cum, testimonio Roderici à Fonseca, Consult. Med. XXV, *nihil sit potentius igne ad dissipandam vim veneni ;* ubi tamen perinde est, an illa cum *clavibus ignitis ferreis Divi Bellini*, prout in diversis Italiæ oris fieri solet, an vero alio inter Chirurgos recepto & commodo instrumento peragatur, modo hoc observetur, ut factâ tali usti-

one

one crusta qvam celerrimò amoveatur, illinendo eam vitello ovi, & recenti butyro, ut moris est.

§. IV. Huic scopo etiam,& qvidem magis specificè, satisfacere debent *pili* illius canis rabidi, â qvo vulnus inflictum fuit, vel incinerati, vel ita in substantiâ externè impositi, nec non *Cor*, *Cerebrum* & præprimis *Hepar*, ejusdem non solum canis, sed & alius cujusdam, aut etiam lupi canibus anxiè prius exagitati ac demum trucidati, qvod sœpius ad talem morsum, præsente qvoqve ipsâ rabie, efficax observatum fuit. Reliqva autem auxilia, qvæ pro impetrandâ hac indicatione â nonnullis commendantur, velut *amputatio* partis demorsæ & *exsuctio* veneni per servum qvendam, partim minus necessaria, partim qvoq; Christianæ charitati planè contraria censemus, præsertim cum miasma tale comunicatum non semper tam celeris sit activitatis, ut extrema ejusmodi remediorum genera reqvirat. Interim tamen hoc observatum est, qvod omnia hæc recensita externa medicamenta & chirurgica auxilia, nisi statim in principio applicentur, frustranea sint, qvia venenum illud cum temporis progressu magis magisqve per totum corpus diffunditur, pro qvo revellendo alii qvidem *fonticulum* in loco affecto excitare svadent, sed parum obtinent. Impetratâ autem hâc repurgatione, vulnus non statim consolidari, t) sed ad minimum 40. dies apertum servari, & si angustius fiat, iterum amplificari & carnis nonnihil orbiculatim auferri debet, qvo venenum ritè evacuari qveat, u) & sic deniqve ad

D 2 *conso-*

t) Præposteram talem vulneris consolidationem non modo summè noxiam, sed sœpius qvoqve planè lethalem esse, testatur *Forestus Lib. X. Obs. 27.* Conf *Gilbertus Anglicus Lib. VII. Cap. de morsu canis rabidi.*

u) Venenum autem hoc omne evacuatum & corpus perfectè repurgatum

consolidationem procedi debet, qvæ per Essentiam vulnerariam balsamicam Stahlianam & Emplastrum ab *Hildano Cent. I. Obs. 87.* descriptum, optimè impetratur, non omissis tamen, pro avertendo humorum affluxu, camphoratis, crocatis aliisqve resolventibus & discutientibus medicamentis, sub formâ cataplasmatum adhibendis.

§. V. Ad præservandam vero & repurgandam M. S. ab insinuato tali contagio in genere omnia *Alexipharmaca* & in specie Pimp. alb. & Scordium in Essent. adhibita, conducunt, qvibus alii rad. Vincetox. & Gent. r. Itali verò rad. Valerianæ, associare solent. Conferunt etiam ad præoccupandum sangvinis orgasmum & motus febriles inhibendos, *absorbentia* cum acidis impræegnata & nitrosis maritata, v.g. ocul.96., Mat. perl., conchæ, &c. cum acetos. Citri vel Acet. dest. saturata, qvibus utiliter qvoq; jungi possunt *Emulsiva* ex Aqvis diapnoicis & analepticis parata, & cum sem. Card. ben., Card. fullon. & præcipue Card. Mariæ, qvod in tali casu â variis Autoribus eximiè commendatur, remixta. Proinde etiam multum refert, ut reliqvam corporis constitutionem, probè observet Medicus, &, si ex prægressa diætâ inordinatâ multam in intestinis impuritatem præsumat, illam, habitâ antea vulneris ratione, remediis purgantibus, & qvidem fortioribus, v) si subjecta sint robusta, evacuet, v.g. Helleb. alb. & nig., Agar., Hiera, Diacolocynth., Croc. Metall.

gatum esse iisdem probationibus in contrarium cognosci potest, qvas supra *Cap.* I. §. 2. allegavimus.

w) Talia commendat imprimis *Paræus in Operibus Chirurg Lib. XX. cap.* 15. hisce verbis: *Qvibus non dum facultas animalis rabiosi veneni malignitate obsessa tenetur, his validiores purgationes sunt exhibendæ. Levioribus enim catharticis sperare se efferam hujus veneni malignitatem visceribus jam admissam expugnare, extremæ est & periculosæ dementiæ.*

tall. aliisqve, Antimonialibus imprimis, ritè præparatis; si verò ætas, temperamentum, & vires patientis unacum aeris constitutione, talia disvadeant, mitiora, ut Pilul. balsam. Stahlii, vel Becheri, nec non Extract. Panch Crollii & Helleb. nigr., Agar. alb., Confect. Hamech, &c. in refractâ dosi adhibeat. E contra autem si plethoricus, aut actualibus hæmorrhagiis adsvetus & freqventioribus suæ plethoræ commotionibus obnoxius sit patiens, commendanda & instituenda est, post aliqvot dies, V. S. in pede, qvâ sanè multa gravia præoccupari possunt symptomata.

§. VI. Alteram qvod attinet indicationem in *prophylacticâ* methodo, illi non modo antea commendatis remediis ex parte simul satis fiet, sed proximius qvoqve ad eam exeqvendam commendatur *repentina & diuturna* membri vulnerati, aut totius planè corporis, in aqvam, præprimis marinam, vel aliam salsam, aut illis deficientibus, etiam dulcem, *demersio*, qvæ verò, prout omnia hæc prophylactica remedia, tempestivè, &, si circumstantiæ permittant, statim post morsum inflictum fieri debet, aliàs in cassum non solum, sed & cum damno adhibetur, qvia omnis hujus remedii virtus partim, & qvidem *primariò*, ex subitaneâ qvadam alteratione animi, conceptam illam ideam facilè invertente, partim verò & *secundariò* ex læsionis materialis per aqvam talem salsam efficaciori absterſione dependet. Inde Veteres, aliorum remediorum cognitione destituti, solo hoc ad præservandum tale delirium ipsamqve Hydrophobiam, non sine fructu usi sunt, prout *Celsus* illud testatur, qvi *Lib. IV. Cap. 27. §. 2.* prælaudatam hanc operationem seqventibus verbis describit: *Unicum remedium est nec opinantem in Piscinam non ante ei provisam, projicere, &, si natandi scientiam non habet, mo-*

dò mersum bibere pati, modò attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus x) qvoqve aqvâ satietur; sic enim simul & sitis & aqvæ metus tollitur. Conf. Codronchus l. c. Lib. II. cap. 8. p. 200. Helmontius in Tr. Demens Idea pag. 127. *& Forestus Observ. cit.* Hâc ergo de causâ hoc remedium inter recentiores qvoqve suos invenit Fautores, ita tamen, ut loco aqvæ *dulcis* ab iisdem *marina* vel alia *salsa*, partim propter situm regionum, partim verò aliis de causis, substituta fuerit, qvemadmodum etiam sub hisce circumstantiis illud Ao. 1719. Principi Bavariensi, *Philippo*, qvi Romæ â rabido cane vulneratus erat, ibidem applicatum fuisse, testantur *Annales Medico-Physici Wratislav. Ao. 1719. Mens. Aug. pag. 169. seq.* Non defuerunt autem illius etiam Osores, qvi cum *Ferrando Ponzetto Tr. de Venen. Tit. de Rabie* & *Josepho de Aromatariis l. c. Part. V. cap. 3. p. 66.* hoc qvidem remedium planè planeq; rejicere tentârunt, non vero potuerunt, siqvidem, si in primo statim principio, uti antea dictum, administretur, & qvidem citra omnem fortiorem animi commotionem, sua illi laus haud denegari potest.

§. VII. In *curatoriâ methodo* parum quidem utilitatis ex remediis sperandum est, præsertim ubi perfecta jam adest Hydrophobia, quæ omnes illorum formulas, maximè vero *liqvidas* cum horrore reformidat & aversatur. Interim tales patientes nec tum deserendi sunt, sed partim ante dicta medicamenta, in quantum possibile, adhibenda, partim etiam *specifica* in subsidium trahenda sunt, quorum plurima quidem â plurimis commendantur, non pauca vero fabulosa videntur; unde usitatiora quædam hîc tantum enumerare placet. Sic â plurimis laudatur *Alyssum Veterum*, planta ex Thlaspios genere, ita dicta, quod *lyssæ*, sive rabiei medeatur, quæ, ex commendatione *Galeni* & *Dioscoridis* ad cochlear I. in ore ex aqvæ mulsæ cyathis tribus â primo ad septimum vel etiam vigesimum diem exhiberi, aut in Extracto vel Essentiâ, admixtis simul aliis Alexipharmacis atque lenioribus diaphoreticis propinari debet. Confer. quæ de eâ habent CODRONCHVS *l. c. Lib. II. cap. V. p.* 164. & PAVLVS RENEALMVS, *Observ.* 134. 135. 136. Aliud autem Specificum GALENVS habet, quod ex *cancris marinis* paratur

&

& *Lib XI. de simpl. med. fac.* ab eo describitur, præprimis quia jamjam apud Græcos & Arabes celebratissimum, in hoc casu, medicamentum erat; sed notârunt de eo moderni Practici, & speciatim *Michaelis* ad Jonstonum, quod, si illud ex nostris quoque *gammaris* aut *astacis fluviatilibus* paretur, non minoris futurum sit efficaciæ; Videatur desuper SACHSIVS *â* LEWENHEIMB, *in Gammarologia p.m.* 640. *seq.* Nonnulli *diuretica* mitiora usurpanda laudant, alii verò fortiora svadent, &, jubente *Avicenna*, urinas validissimè provocandas esse, vel ad sangvinis mictum, censent, cum tali ratione miasma communicatum simul excernatur; & hunc in finem modò ipsos *cantharides*, modò etiam vulgares *scarabæos majales* capitibus absciffis, in melle despumato suffocatos, iterumqve tempore necessitatis num. 3. vel 4. contusos & expressos, cum aqv. Verbenæ & Anagallid. exhibent, sed incerto pariter atqve periculoso cum eventu. x) Multi *Sinapismos* & *Vesicatoria* validissima brachiis, femoribus & tibiis applicanda, svadent; alii *Elect. de Ovo* cum *Nuce vomica* remixtum, aut etiam *Amygdalas amaras* commendant; Plurimi vero *Limaturam Orichalci* ad drachm. j. exhibitam multis vicibus salutarem effectum præstitisse affirmant. Atqve huc optimo qvoqve jure referendum est famosum illud *Oleum animale Dippelii* ad gtt. xxv. vel xxx. cum Conserv. Ros. rubr. exhibitum, cujus efficacitam vix contemnendam, uti in aliis exacerbatis Naturæ motibus, ita & in tali casu, demonstrat Observatio Doctissimi *Molleri* in *Annalibus Phys. Med. Wratislav. Ao.* 1721. *Mens. Mart. Class I. Artic. III.* §. 5. *Palmarius* omnia hæc negligit, & solo suo *pulvere Alexipharmaco*, qvem in *lib. de morb. contagios.* tradit, rabiem hanc curare intendit, sed practica jam dudum demonstravit experientia, plus verborum qvam virium illi inesse; Alii ex cane ipso diversa adhuc commendant antidota, videlicet *coagulum catuli* cum aceto epotum, *Jecur* canis rabidi coctum & comestum, *sangvinem* & *urinam* imo deniqve *Sal* canis rabiosi per combustionem ipsius præparatum, ad drachmam unam cum aqvâ theriacali exhibendum; sed hæc omnia partim nauseosa, partim qvoqve inania sunt, atqve propterea rarò in usum

x) *Cantharidum* tamen usum circumspectum & præservatorio & curatorio scopo interdum maximè salutarem atqve proficuum esse, confirmat *Antidotum* Rustici illius Hungari, cujus reminiscitur *Reimannus* in *Annal. Med. Phys. Wratislav. Ao.* 1723. *Mens. Januar. Class. IV. Art.* 15. qvod maximam partem ex pulverisatis cantharidibus compositum fuisse, ocularis demonstravit inspectio.

usum trahuntur; Alii deniqve *Amuleta* proferunt, & hoc scopo *dentem canis rabidi* humero suspensum & substratum, nec non *corium Ursæ* & *Phocæ*, præ aliis extollunt, sed irrito & vano conatu. Nimis autem longum foret omnia illa recensere specifica, unde Lectorem sedulum ad ipsos Practicos Autores relegamus, cum hæc allata pro scopo nostro sufficere qveant, qvemadmodum etiam hoc cujusvis Medici inventioni, prudentiæ & dexteritati relinqvimus, qvomodo remedia illa interna, hactenus commendata, morosis ejusmodi ægrotantibus commodè post modum sint exhibenda. *Confer. etiam Ammanni Positiones Medicæ de Rabie vel Hydrophobia, Anno 1662. Lipsiæ pro loco in Facult. Med. obtinendo, ventilatæ §. XLIV. sqq.*

§. VIII. Anteqvam verò destinatos huic tractationi ponamus limites, unico adhuc verbo, specialissimæ illius traditionis mentionem injicere placet, qvod nimirum varia externa accidentia, luctuosum huncce morbum, in illis etiam hominibus, qvi unqvam ante hac illum experti & ab eo liberati fuerunt, resuscitare qveant, ita, ut absqve morsu animalis cujusdam rabidi, solâ noxiâ horum subjectorum qvalitate, denuo sub eodem schemate sese exserat; Sic enim MATTHIOLVS in *lib. VI. Dioscor. cap.* 39. & SIMON PAVLI referunt, qvod illi, qvi *Corni* vel *Sangvinariæ* plantam, ante exactum annum, post curatam talem rabiem, tangant, iterum in illam incidant, & hoc insimul peculiari qvodam exemplo opificis cujusdam illustrare contendunt, qvi ex virgis Corni arboris diutius intra manus detentis tali rabie affectus fuerit, de qvâ re conf. Illustr. STAHLIVS *in Dissert. de Metaschematismis morborum pag.* 42. Idem qvoqve evenire illis, qvi sub umbrâ *Sorbi* dormirent, testatur GVAINERIVS, *Tr. de venenis cap.* 12. Sed omnia hæc ulteriori adhuc indigent probatione & examinatione, cum nondum satis demonstratum sit, an à solis hisce rebus citra concurrentem aliam qvandam causam (qvæ forsitan in illis observationibus neglecta fuit,) excitatum fuerit hoc malum, & cur propriè illa tantum subjecta & non alia qvoq; ejusdem generis, singularem hanc possideant facultatem.

§. IX. Et ita qvidem speramus proposito nostro, qvantum ad veram affectus hujus constitutionem, explicationem & curationem attinet, satisfecisse; Unde ulteriores exqvisitiores & specialiores illius enucleationes qvibuslibet, qvi possunt, commendamus; Divinum interim Numen pro præstito nobis auxilio benignissimo, toto corde celebrantes, insimulqve nos nostraqve omnia immensæ ejusdem benedictioni atqve directioni consecrantes.

S. D. G.